



**De Ortv Et Progressv Ac Viris Illvstribvs Ordinis
Gloriosissimæ Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ de
monte Carmelo**

Trithemius, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1643

Admodvm Reverendo Patri, In Christo Observandissimo, P. F. Alexandro A
lesv Maria, Fratrvm Discalceatorvm, Ordinis Gloriosiſimæ Dei Genitricis
semper Virginis Mariæ de monte Carmelo, per Germaniam ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64495](#)



ADMODVM
R E V E R E N D O P A T R I,
IN C H R I S T O O B S E R V A N D I S S I M O,
P. F. A L E X A N D R O
A I E S V M A R I A,
F R A T R V M D I S C A L C E A T O R V M,
Ordinis Gloriosissimae Dei Genitricis semper Virginis
M A R I A E de monte C A R M E L O,
per Germaniam iterata vice
P R O V I N C I A L I D I G N I S S I M O.

**A R M E L V M**, admodum R. PATER,
montem illum Syriæ nobilissimum, mi-
rum est quantis, cælotenus, laudibus
efferant, cum antiqui, tum moderni Cos-
mographi. Id autem palmarium est, nec
ipsum quidem calamum Scribæ velociter scribentis
ijs abstinuisse: sed maximas, ac vberimas, varijs scri-
pturæ suæ areolis inspersisse: eius nunc amœnitatem
laudatis, nunc commendans vbertatem, modo etiam,
ad mysticos Sponsæ suæ decores exprimendos, sym-
bola exinde & parallelos, desumens.

Verum hæc, quantumvis excelsa, collata tamet
cum ijs, quibus non iam mox ipse, sed eius incolæ
potissimum claruere, mera prorsus crepundia sunt:
tanto utique inferiora, quanto corporalia spirituali-
bus, terrestria cœlestibus, fluxa & caduca sempiter-
nis. Bonum factum, & hæc quoque suos habuisse

EPISTOLA

Encomiastes, qui stylo vindice, tantum Orbi thesaurum recluserunt, & nobis, quibus ea videre, per aetatem non licuit, temporis iniuriam detraxerunt.

In quo, optimè meriti, non modo de toto CARMELI Ordine, sed vniuersa plane Ecclesia, mihi videntur Spanheimensis Abbas Ordinis S. Benedicti, & R. Admodum P. Ioannes de Carthagena Ordinis Seraphici, qui eiusmodi non quidem ex integro, sed optimè tamen ac ex professo tractantes, Religioni praedictæ affatim splendoris, toti vero Ecclesiæ plurimum utilitatis attulerunt. Quapropter simuletiam, ut specialem quo sum in candidum CARMELI Ordinem affectum, hac veluti antipochâ profiterer, coniunxi typo, quos argumentum commiserat: & quia teste veritate, in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum, binos ac duntaxat produxi: porro ambos pientissimos, doctissimos, & (quod rem simul ac fidem facit) externos, denique omni exceptione maiores. Auberti vero Mirai Tractatum, & alios in quos postea præter intentionem incidi, hisce tanquam ascititia emblemata inseui, Tibiq; Admodum Rev. in Christo P. eò simul omnes dicatos volui, quod nemo aliis mihi aptior occurrere posse videretur. Consideranti quippe & expendenti mihi, operis huius institutum, scopumque, Tuæ Adm. Rev. Patern. hoc ipso maxime deberi iudicaui. quid enim? nonne eundem sibi scopum hic liber præfixum habet, in quem Tu quoque non minus feliciter, quam solerter collimas? scriptus namque ad illustrandum ac exornandum CARMELVM Carmeliticumque institutum, cuius Tu vigorem decoremve indefessa cura sollicitudineque adau-

N V N C V P A T O R I A.

adaugere studes: & quod ille verbis, Tu factis præclarè præstas. Taceo, huc me etiam impulisse, ipsa quibus immensum ornaris, animi tui decora, & virtutum tuarum merita; quarum, cum hic elogium attexere, singularis & ingenuis modestiæ tux pudor animique demissio non patiatur, hoc vnum insinuasse sufficiat, Te quondam Ven. P. DOMINICI à IESV MARIA (viri ob prodigiosam vitæ sanctitatem toto Orbe celeberrimi) comitem indiuiduum fuisse, illiusque entheum spiritum, pleno, quod aiunt, ore imbibisse. Hinc tua illa morum integritas, Religio-nis zelus, hinc animi candor & humilitas, hinc pru-dentia & pietas, cæteraque virtutum tuarum orna-menta. Excipies Tu, Reu. Adm. P. hoc qualecunque munus, solitaque benevolentia, suo cum datore com-plecteris: qui æternum se Clientem profitebitur, Te Patronum. Vale. C O L O N I A E A G R I P P I N A E, ipso Conuersionis S. PAVLI Apostoli festo. Anno reparatæ salutis, cl. Ioc. XLIII.

Admod. Reu. P. V.

Addictissimus

I O D O C V S K A L C K O V E N
Ciuis & Bibliopola
Coloniens.

: (3

APPRO-